

AUCTUARIUM

CONCIO I.

CONFESSIO NON ITA GRAVE ONUS, UTI QUIBUSDAM APPARET.

Confessio pectini bene comparatur. — I. Confessio pectea est, non strigillis. — II. Pecten est eburneus, pulcher et salutaris. — III. Pecten est inauratus respectu gehennæ.

THEMA.

Omnis mons et collis humiliabitur. Lucæ III.

Nihil usitatus, quam ut homines, ubi in speculo viderunt male concinnum sibi esse capillum, pectinem arripiant, eoque comam pectent. Ex dono Bonifacii V. PP. Edelburgæ reginæ Angliæ misso, vidimus ante octiduum in speculo, quam male cohæreat noster capillus, quam scabiosum et male comptum sit nostrum caput: superest nunc, ut pectinem eburneum (qui erat alterum donum) arripiamus ad concinnandam comam: quo nimirum apparere cum decentia coram Christo nato valeamus. Quinam vero ille nisi confessio? Hæc enim vermes capiti detrahit, hæc capillos ordinat, hæc sanitatem menti adfert, hæc denique juxta hoc evangelium montes et colles humiliat, et omnia prava et aspera corrigit. Sed videor mihi jam videre aliquos, qui ab hoc pectine abhorreant, non secus atque filiulus, qui scabioso laborat capite. Dixi, filiulus, quia revera parvuli et infantes sunt, qui necessarium hoc tamque salutare remedium fugiunt. Si enim vere saperent, utique dicerent: o gratum! O eburneum! O aureum pectinem! Quod ut manu palpemus, audiamus.

Diximus hunc pectinem Edelburgæ a Bonifacio transmissum, fuisse eburneum et inauratum. Iterum.

I. Cogita confessionem esse pectinem, quo homines; non strigilem, qua equi; nec ungues ferreos, quibus malefici pectuntur. Sane si princeps, postquam rei alicujus scelera jam ipsi innotuissent, nil aliud ei pro pœna injungeret, quam ut ea suo secretario eique muto vel alteri servo (sub sigillo arcani) in aurem diceret; non insipiens foret, qui hoc facere detrectaret, vel difficile assereret? Hinc Athenienses, qui impu-

nes dimittebant eos, qui culpam ultro fassi essent cum id Socrates facere nollet, eum morte condemnarunt, non tam ob delictum, quam ob contumaciam, teste Alex. ab Ale. lib. III, c. V. Jam vero Deus novit omnia peccata tua melius quam tu ipse, sive ea fatearis, sive neges: vult tamen partim in pœnam, partim in bonum tuum, ut ejus secretario ea aperias, qui sub gravissima pœna illa revelare nequit; adeoque plus quam mutus est, et hac lege tibi promittit, se omnia remissurum. Quis hanc clementiam Dei non omni laude extollat? Aspice jam pectines seu potius strigiles gentilium et Judæorum. Apud Lacedæmones qui graviter deliquissent, ipsi cantilenam in se componere, et circum aram cantare debebant, teste Plutarcho in Lacon. Si hoc a nobis exigeretur, quæ confusio nos opprimeret? Alii etiam filios immolare a sacrificulis cogebantur. Judæi pro certis peccatis certas hostias offerre, et pro gravi meliores ac majores; quin et peccata sua sacerdoti indicare. Hinc Levit. III. dicitur: *Agat penitentiam pro peccato suo.* Heb. et Chald. *Confiteatur peccatum suum.* Quod si jam et nos pecora nostra afferre unaque peccata nostra indicare cogemur, quid diceremus?

Unde ungues ferreos, quibus utuntur fori tribunalia ad eliciendam reorum confessionem, et postquam elicuerint, eadem puniendâ: illa vi extorquent: et si sponte fatearis nihilominus adhuc vitam tibi extorquebunt. At in confessionis tribunali, siteipsum accusaveris, non tantum absolveris, sed insuper in catalogum electorum inscriberis, et corona te expectat. Non meum est hoc, sed Chrys. III. de verbis Isaïæ: *In mundanis, inquit, ac forensibus judiciis post accusationem et confessionem criminum restat mors. Cæterum apud divinum tribunal, post accusationem et confessionem criminum datur corona.* Accedit quod magistratus sæcularis crimina quidem punit, sed non emendat, velut si cum dens aut caput tibi doleat, non dolorem aliquis sedet; sed caput tibi abscindat. At in confessione tollitur peccatum, sed non destruitur peccator.

II. Cogita esse pectinem (ut vidimus) eburneum, adeoque pulchrum et nitidum, necnon salutarem, dictum Germanice, sive ab elephantem, sive a juvando et medica virtute quia ex osse et dente elephantis medicinali factus.

Primo, igitur a sordibus et pulveribus peccatorum caput purgat nitidumque efficit. Quo videtur respexisse David, sp. XCV. cum ait: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, quasi pulchritudo nascatur ex confessione. Unde S. Augustinus in eum locum ait: *Fœdus eras, sed confitere ut sis pulcher.* Et S. Bernar. ep. CXI: *Bonum animæ ornamentum confessio, quæ et peccatorem purgat et justum reddit purgatorem.* Exemplo est S. Pelagia, cujus vitam et conversionem scribit Jacobus diaconus Heliopoleos. Ea temporibus Theodosii junioris Antiochiæ inter mulierculas Baccho sacras passis crinibus circumcursantes ingenti ornatu et pompa S. Nonno episcopo Edesseno occurrit. Cujus vanitatem cum is deplorasset, unaque suam negligentiam, quod nunquam ita studisset placere Deo, sicut illa sæculo, acc usasset: die dominico post horas nocturnas vidit in somnio stans ad altare columbam nigerrimam et sordibus plenissimam instar atrii corvi; quam proinde ex indignatione arreptam projecit in vas aqua plenum juxta positum in qua sordibus abstersa prodiit, mox instar nivis candida atque in sublimi evolans evanuit. Hæc cum diacono suo retulisset, pro dii ad ecclesiam; et concionem de vanitatibus sæculi orditus est. Aderat forte et Pelagia, eaque concione compuncta venit ad pedes Nonni, asserens se pelagus omnium vitiorum, monitaque ad faciendam integram oris confessionem, mutata est in columbam per penitentiam et baptismum, ac deinceps supra montem Oliveti in angustissima cellula se inclusit, egitque tam severam penitentiam, ut inter sanctos numerari meruerit. Apud Sur. IX. Octob. Quando igitur confessio corvum tam atrum in columbam nitidissimam convertit, quomodo non obviis ulnis amplectenda est? Maximum beneficium præstitit arca Noe etiam bestiis, dum eas in vitam servavit: sed nequaquam tam eximium quam confessio præstat hominibus. Ibi enim qui lupus vel corvus ingressus est, iterum lupus vel corvus egressus est. At hic in ecclesia qui lupus ingreditur ad confessionem, ovis egreditur: qui corvus, columba.

Secundo. Vermiculos qui ex pœdore et sordibus capitis nascuntur, detrahit. Quid vero illi nisi vermes conscientiæ, qui quot peccata, tot numero sunt, hominemque perpetuo rodunt ac lancinant? Ut plane dolor ille longe gravior et intolerabilior æstimari debeat, quam pudor confessionis, seu quis alius cruciatus. His vexatus David commissum adulterium et homici-

dium Uriæ, Ps. XXXVII. fatetur de se: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Cur? *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, quasi pediculi scilicet caput rodentes: *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ*, id est, plagæ non sanatæ, sed oblivione quadam violenta solum obductæ, plus contexerunt et reputuerunt, ut Hebræus clarius habet. Unde miser factus sum et incurvatus sum usque in finem. Putabat enim se continuo in dorso vel capite gestare cadaver Uriæ, quem occidi innocentem jussit, sicque per novem menses misere onustus incessit, donec a Nathan propheta correptus peccatum expulsi dicens: *Peccavi Domino.* Accidit David et fere omnibus peccatoribus gravium peccatorum reis, quod peregrino illi in vita S. Walpurgæ (auctore Wolfhardo monacho Herrenriedano) qui cum alium peregrinatem ad S. Walpurgam famis tempore in via occidisset spoliis causa, defunctumque brachiis complexum in humeros sustulisset, proxima in silva sepeliendum aut abscondendum, contingit Dei nutu, ut cadaver a se abjicere amplius non posset, sed cum eo per aliquot dies continua circumire cogeretur, donec tandem ad Rhenum veniens, se quasi desperabundus Rheno injecit una cum sarcina a qua quidem liberatus, sed cum illa ejectus, ad S. Walpurgæ monast. veniens rem ordine narravit. Tale onus est, quod peccator gestat: sic enim ait Dominus: *Scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* Quare si ab onerato liberari velis, aliud non superest, nisi ut projicias te in lavacrum penitentiae et confessionis. Unde S. Chrysost. hom. XV. in II. ad Cor. ait: *Quomodo licet adulterium eximere? Potest, inquam, et quidem facile: Si quis legibus se submittat. Balneum enim spirituale est Ecclesia; non corporis spurcitiem, sed animæ labes variis penitentiae modis abstergens.*

Tertio. Capillos implexos ac perturbatos componit, pulchreque in ordinem redigit. Capilli cogitationes sunt, quia de capite prodeunt. Hæc autem in mente peccatis admodum implexæ et turbatæ sunt, secumque ipsæ pugnant. Ecce aiunt cum prodigo filio, quam longe a Deo patre meo recessi! Quorsum et in quam duram peccatorum servitutem deveni! Quam nudus omni virtute, et gratia Dei exutus! Quot sordibus et pediculis admissorum scelerum fœdus? Quam infamis coram cœlitibus et hominibus. Qua in societate dego? Dæmonum et hominum reproborum scilicet. Quinam cibi mei? Nonne furfures et siliquæ fœdissimarum ac bestialium voluptatum? Quanti alii boni passim in domo patris mei vivunt in sancta pace et lætitia spiritus? Et quid tandem erit mecum? Nonne

hic fame peream? Et quid si æternum peream? Et quid si repente, hac die vel nocte? Redibo ad patrem meum? Sed quomodo me recipiet? Et quid dicet mundus? Quid cogitabit confessarius, videns undique me tam lacerum? Hunc in modum implectunt hominem hi capilli, et affigunt laqueo dæmonis velut alterum Absalonem. Et quo is diutius differt pectinem, eo difficilior fit depexio, quemadmodum in rustico qui capillum suum toto anno nunquam pectit. At ubi semel te viceris, dicens: *Surgam et ibo ad patrem meum*: ubi pectinem apprehenderit, tunc videbis repente componi cogitationes tuas, redire animo serenitatem et lætitiā: uti expertus etiam est prodigus in domum patris reversus. Hujusmodi capillos acquisierat superbus ille rex Nabuchodonosor, ad bestias damnatus; similes videlicet pilis seu plumis aquilarum densos, nigros, prolixos, horridos et crispatos. Qui tamen ubi Deum et peccata sua agnoscere et confiteri cœpit, restitutus est illi sensus et forma humana, regniq; decor; Dan. IV. Jam vero si hanc tantam sanitatem mentis exhibet confessio, quis etiam oderit aut metuat? Quid non expendunt et tolerant a medicis ægri ut ab infirmitate convalescant; primo amaras potiones sumunt, scindi et uri non detrectant. Deinde eventus incertus est. Tertio multo plerumque tempore in cura detinentur. Quarto in medicos et pharmacopolas quid non expendunt! Nonne hemorrhœssa illa per quatuordecim annos multa a compluribus medicis perpessa est, et præterea in eos erogavit omnem substantiam suam? Et tamen nihil profecit, *sed magis deterius habuit*, ut omnia enucleate scribit Marc. V. Nihil horum in confessione timendum, non est quod ibi patiaris, nisi brevem coram uno homine muto, Deique servo, tui explicationem: eventus curæ certus est, nec diu expectandus: illico enim sequitur ad duo sacerdotis verba, neque est quod expendas. Et hanc curam fugies?

III. Cogita hunc pectinem esse inauratum. Sed qua ratione? Eadem qua Deus per Zachar. dixit XI: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem* (id est, suavem et jucundam q. d. aureum sceptrum) *et alteram vocavi funiculum*. Sic ego video duos pectines peccatori propositos, unus est jucundus et suavis adeoque aureus, alter sævus et horribilis. Prior uti potes tu in hoc sæculo, mediante confessione: altero utetur Deus in die judicii, interventu diaboli, quando ille te accusando pectet, cujus respectu alter ille plane aureus est, ut loqui solemus. Qui seipsum pectit, suaviter id facit, nec capillos sibi evellit, at si rusticanus tonsor forte eum invadat duro suo pectine et crassis manibus, non absque dolore ipsi

pilos e barba, vel cervice extrahet. Jam ergo si te ipsum confessione tua comas, nullo tuo id damno facies. Quod si nolis, veniet tibi rusticanus tonsor, qui etiam cutem tibi detrahet, dæmon, inquam, qui saltem in die judicii particularis de omnibus te accusabit. Unde Amos V. dicitur: *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini tenebræ et non lux. Quasi fugiat vir a facie leonis et occurrat illi ursus.* Leo enim prostratis parcit sed ursus suis unguibus pellem hominis capiti detrahit. Sic pexuit Theodebertum Galliarum regem in vita S. Nicetii II. Oct. apud Sur. Is enim cum gravibus peccatis implicatus cum suis aulicis contra anathema templum ingressus esset, noluit episcopus pergere in officio divino, venitque juvenis obsessus in templum, exclamans, episcopum esse sanctum et bonum: at regem esse adulterum, incestuosum, homicidam nec compesci potuit; et cum in columnam templi insiliisset, inde nec a decem hominibus (cum id juberet Theodebertus) abstrahi, donec facta clam ab episcopo cruce decidit, et extractus nusquam apparuit. Idem egit malignus hostis in alio obsessore Trajecti, quem S. Norbertus expulit, ut in ejus vita, VI. Jun. ap. Sur. « Cum enim circumstaret clerus et populus, alii pro curiositate; alii pro pietate, pessimus dæmon per os invasi hominis multorum flagitiosam vitam et fornicationes cœpit detegere, et quidquid confessione tectum non erat, malitioso ore propalare. Hæc audientes cœperunt omnes, hac illaque diffugere, paucis cum patre Norberto remanentibus. » Jam elige quod vultis auditores vel ipsi confiteri, vel vestro nomine contentem audire diabolum. Diabolus secundum nomen suum, criminator et calumniator est; Satan adversarius qui nihil non effutiet contra vos in die judicii seu falsa seu vera. Confessarius vester pater, idemque velut mutus est, imo plusquam mutus; potest enim mutus prodere vos per nutus: confessarius autem nullo modo. Hinc monet Isaias, cap. XLIII. *Narra si quid habes* (Septuaginta vertunt: *Dic tu iniquitates tuas primo*) *ut justificeris.* In quem locum S. Chrys. ho. XX. in Gen. ait: *Ne expectes te arguentem, ne præstoleris, actorem ipse præveni et rape sermonis principium, ut accusatoris linguam mutescere facias.* Dicamus ergo cum David, Ps. LXXIV. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur et invocabimus nomen tuum.*

CONCIO II.

PROPOSITUM EMENDATIONIS QUID FIRMANDUM.

Mari Jericho dejecti non reedificandi. — I. Quia id præcepit Christus. — II. Quia interminatio adjecta. — III. Quia juste præcepit. — IV. Quia incerta et damnosa reparatio. — V. Quia reparatio placet diabolo. — VI. Quia reparatio laborem habet.

THEMA.

Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.
Luc. III.

Oppugnâvimus ante octiduum civitatem Jericho tuba præcursoris: nescio an expugnâverimus. Tametsi vero credimus in multorum cordibus muros iniquitatis, qui obstabant Christo, dejectos esse: necdum tamen plena victoria obtenta est. Quid enim si quis ejectos muros iterum ædificet vel ædificare cogitet? Quid proderit dejecisse? *Unus ædificans*, inquit Eccles. XXX. *Et unus destruens: quid prodest illis nisi labor?* Dicam ego. Unus peccatum destruens, et alter ædificans quid prodest? Duo enim sunt officia contritionis, ut contritus doleat de admissis peccatis, et de cavendis in posterum firmum decretum habeat. Quamobrem ubi Josue muros Jericho lapsos vidit et civitatem vastavit, addidit edictum ne quis eam in posterum reedificaret: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho.* Et hoc est, quod a nobis etiam requiritur firmum, inquam, propositum peccata dimissa non repetendi. Quod enim Christus Satanæ puerum obsidenti dixit, Marco IX. *Exi ab eo, et ne amplius introeas in eum*: hoc peccatis nostris utique dicere voluit, idque etiam deficere ne unquam ad nos redeant, si ipsis consentiamus. Sed qua ratione tale propositum in nobis excitabimus? Ea quæ absterruit Hebræos a suscitanda Jericho, uti videbimus.

I. Quia præcepit Josue populo ne suscitarent Jericho, pari ratione Christus præcepit nobis, ne demissa peccata repetamus; uti imprimis languido illi ad piscinam, *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan. V. Rursum adulteræ absolutæ, *Vade et jam amplius noli peccare.* Joan. VIII. Non adjuravit quidem nos Dominus, uti suos Josue, sed mansuetissime mandavit. *Noli peccare*, quia omne Dei mandatum jusjurandi vim habet. Si enim, ut dixit Alphonsus Aragonum rex sapientissimus, *tantum valere debet simplex verbum principum, quantum privatorum hominum jusjurandum.* (apud Panorm. lib. I. comment. de rebus Alphonsi, c. LVIII.) multo magis Dei verbum seu mandatum. Jam videte quid Hebræi post edictum illud Josue fecerint: nemo unus eorum ausus est Jerichuntem reedificare. Post 530 annos primum venit Hiel a Bethel, (ubi erectus

erat vitulus aureus: utique ergo idololatra) qui eam reparavit. Simile est quod legimus, I. Reg. XIV. In fugam et terrorem compulerat Philisthæos Jonathas; Saul ut hac occasione uteretur ad hostes persequendos, adjuravit populum sub maledictione, ne quis aliquid comederet usque ad vesperam, donec ulcisceretur se de inimicis. Et quid egerunt illi? Non manducavit universus populus panem, ac licet viderent in saltu mel silvestre, in conspectu suo fluere, nullus tamen ex tanto numero (præter unum Jonatham, qui edictum patris ignoraverat) inde vel minimum quid gustavit, timore juramenti regii. Si potuit hoc efficere mandatum regis in tanto populo non possit plus mandatum Dei? Præcipit is ut in posterum abstineatis voluptatibus hujus sæculi melleis, usque dum hostem jam fugientem ad interneconem deleatis. Et Deo non parebitis? David cum exercitum suum mitteret contra rebellem illum Absalonem, præcepit ducibus militum audiente populo: *Servate mihi puerum Absalon.* Cumque miles quidam vidisset pendulum e quercu Absalonem, idque duci Joab nuntiasset, Joab expostulare cœpit, quod eum non occidisset. At vero ille: *Si appenderes manu mea mille argenteos; nequam mitterem manum meam in filium regis, audientibus enim nobis præcepit rex tibi et Absalon.* II. Reg. XVIII. Ecce miles hic præceptum non habuit, sed voluntatem tantum regis insinuatam ducibus noverat; et tam obfirmato nihilominus animo voluntati regis se accomodat. Annon deceat igitur, ut nos multo firmitus Dei voluntati insistamus? Præcipit is ne deinceps non rebellem, ut erat Absalon, sed obedientissimum sibi filium, Christum offendamus, et tam facile seducimur, ut pro pugillo hordei rursus eum vendamus? Absit, absit. Si totus mundus nobis offeratur, et in manu nostra appendatur, nunquam id faciemus. Itaque cum confessarius pœnitenti ait: *Vade et amplius noli peccare*; sciat is pro certo, sibi id a Deo, non ab homine dictum, quia et absolutio a confessario non tamquam ab homine, sed tamquam a Deo datur.

II. Quia Josue interminationem addidit: *Maledictus vir coram Domino: qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta ejus jaciatur, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Idque impletum est in Hiel, qui tempore Achab restauravit Jericho, homo infidelis, qui pro nihilo duxit maledictionem Josue, nec fidem ei habuit. Sed ultionem expertus est. *In Abiram primogenito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini.* Quando ergo cœpit fodere muri fundamentum, tunc fodit